



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Catharina V. Et M. 25. Novembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

fasse, hanc capitis in tyrannum sententiam dixisse, & ad id ablegasse MERCVRIVM; à quo ille confossus haustum è vulnere cruorem cum hâc impiâ voce in cælum ejaculatus sit: *Vicisti Galilee*: rem omnem ab absente tunc martyris hastâ & postridie cruentâ proditam esse. Atque hoc puto etiam Sodalibus aurem vellicabit, quæ semper MATER audit, etiam nonnunquam eam iudicem esse. *Ex Bar. & Metaphr.*

S. CATHARINA V. ET M.
25. Nouembris.

PALLADEM Christianam damus, CATHARINAM inquam, fortissimam Virginem & sanctiorum Musarum dignissimam Præsidentem, non Ægide aut hastâ mendaci, sed rotâ fractâ & lacteo gladio formosam. Ausa est hæc una ex omni Alexandria Diis sacrificantem Maximinum interpellare, stultitiæque propalâam arguere, quin captiva cum quinquagenis Philosophis pro Christo in arenam descendere. Et rassi sunt tot viri à virgine se victos, & in flammâ abjecti, manus Deo, & palmam CATHARINÆ dederunt. Illic CATHARINA etiam Imperatricem, quæ ad vindictam inviserat, carcerique præfectum Porphyrium cum suis præmisit. Ipsa ultima cum tyranno commissa

missa primas tamen abstulit, Nam carceris tenebras cur non suspexisset, in quibus presentem illi licuit Christum aspiceret? Iam verbera ac plagas facile tulit, cum idem, ut promiserat, robur suppeditaret. Negatum verò undecim ipsos dies cibum potumq; etiam contempsit, cum commeatus e celo suppeteret. Quid? ingeniosam in tormenta rotam, velut melior fortuna calcavit. Denique virum (ut nobilis avi nostri Poeta ait) credidisses, nisi cum caput ensis abstulit, virginem lac, quod pro sanguine fluxit, prodidisset. Meruit tanta virtus ab Angelis in monte Sinâ tumulari, & e tumulo hodie etiam CATHARINA oleum terris dividit; ut quod de suâ Pallade finxit antiquitas, de nostrâ sine mendacio possimus affirmare. *Ex Metaphr.*

S. CONRADVS EPISC.

26. Novembris.

CONRADVS insulam Constantien-
sem accepit à D. Vdalrico Augu-
stanorum Præsule. Fuit cum uterque
coenam frugalem sanctis de Deo ser-
mocinationibus aspergerent; Et erat
is dies Iovi dicatus; jamque protracto
ultra mediam noctem colloquio is
expiraverat, Venerique cesserat; cum
fores nuntius pulsat, admittitur, au-
ditur, & perna frusto ab inadvertente
dona-